

056

054

060

050

065

045

105

005

155

555

Ende

Anfang

potentissimus, cui Isis in conjugium nupta est, ut patet supra fol. 44. Erat autem Isis insignis prudentiae, quae populum Aegypti, quem nudem, inertem et bestialem invenit, humaniter vivere docuit, et agros colere, cultis committere semina et fruges colligere et in cibum deducere instruxit, et quod his omnibus spectabilius est in muliere, populum vagum collegit et legibus vivere praecepit eisque characteres depinxit et elementa scripturarum primo tradidit; haec adeo mirabilia insueta hominibus visa sunt, ut arbitrarentur, non ex Graecia venisse Isidem, sed e coelo lapsam, et ob id divinos honores adhuc viventi exhibuerunt, et dum mortua fuit, in coelum eam reassumptam crediderunt, eique et Apidi templa per universas Aegypti civitates condiderunt, aras et simulacra erexerunt, et legem ediderunt, ut, quicumque Apim et Isidem hominem diceret fuisse, capite mox puniretur.

Mirabile (b) profecto fortunae ludibrium, seu potius coecitas hominum, aut melius dicerem fraus et decipula daemonum, quorum opere actum est, ut foemina longis agitata laboribus, deinde anus mortua et in cinerem versa et apud inferos alligata, et dea crederetur, et per grande crimen fere ab universo orbe divinis honoraretur obsequiis. Ad hanc enim insaniam etiam ipsi Romani prudentes et potentes devoluti sunt, ut longe lateque per terras et maria mitterent, et collapsas idolorum statuas tollerent et in civitatem Romam ferrent, et hoc ex persuasu deorum, melius daemonum; miror autem, quod hoc Isidis idolum hic collapsum remansit, cum certum sit, eam templum Romae et sacerdotes habuisse. Sicut et Alma dea templum quidem habuit, in quod longe post idolum ejus allatum fuit; recitatur enim de civitate Dei LVIII. C. 30., quod dum Hannibal Romanos et Italiam multis attrivisset bellis, et tamen recedere nollet, sed eos assidue vexaret, ab his, qui Romae sacris praeerant, interrogabant de remedio, qui ad idolorum oracula tale invenerunt carmen: Vinci et pelli hostem posse, si Matris deorum numen Romam adductam foret. Occasione ergo hujus carminis miserunt Romani legatos in Phrygiam Asiae, ubi erat juxta Trojam nemus, Pessimium dictum, in quo erat statua Pessimiunctae, vel Almae matris deorum. Hanc praegrandem statuam tulerunt, et permare et terras maxima pompa in Urbem duxerunt in suum fanum. Vide de hoc infra fol. 213 b. Fuit autem haec Alma filia Coeli et Vestae, et uxor fratris Saturni, mater Jovis,